

.xlvi. ITEM ALIA DE SAPIENTIA .

PRimum omnium inquirendum est omni homi  
ni deum scire uolenti fratres karissimi . quęsit uera  
scientia ueraque sapientia . quia sapientia huius  
seculi . stultitia est apud deum . Scientia uera est .  
a diaboli seruitiis quę sunt peccata recedere  
et sapientia perfecta est . deum colere secundum man  
datorum illius ueritatem . Quia in his duobus  
uita beata acquiritur . Sicut psalmista ait .  
/112r/ Diuerte a malo . et fac bonum . nec etiam sufficit cui quam  
mala non facere . nisi etiam et bona faciat . nec bona facere .  
nisi etiam . et mala amittat . Aliter ergo ammonendi  
sunt sapientes huius seculi . atque aliter hebites . Sapi  
entes quippe ammonendi sunt . ut amittant scire  
quę nesciunt . Hebites quoque ammonendi sunt . ut  
appetant scire quę nesciunt . Illi namque ut stultam  
sapientiam deserant et sapientiam dei simplicem di  
scant . Isti uero ut ab ea quę putatur stultitia et quę  
simplicitas quidem intelligitur . ad ueram sapientiam  
uicinius currant . sicut in euuangelio scriptum est .  
Estote prudentes sicut serpentes . et simplices sicut  
columbae . Quicumque ergo hęc inquirere uoluerit .  
primum incipiat deum timere propheta dicente .  
Initium sapientię . timor domini . Homo enim sapiens  
in omnibus deum metuit operibus suis . sciens se numquam  
eius presentiam effugere posse . sicut idem propheta dicit .  
Quo ibo a spiritu tuo . et quo a facie tua fugiam? Si ascen  
dero in celum tú illic és . si descendero ad infernum  
ádes . Si sumpsero pennas meas diluculo . et habi

tauero in extremis maris . Etenim illuc manus tua  
deducet me . et tenebit me dextera tua . Quia igitur  
sapientiam diligit . Primum hanc a deo postulet .  
Sicut salomon postulauit dicente ei domino per somnium  
in nocte . postquam immolauerat ei hostias in gabaon  
post mortem patris sui dauid . Postula a me quod  
uis . ut dem tibi . Salomon autem dixit ei . Ego sum domine  
puer paruulus in medio populi positus . Ignorans  
/112v/ quod beneplacitum est tibi . Emitte ergo domine sapientiam  
de sede magnitudinis tue et effunde eam in me . ut me  
cum sit et mecum laboret et me semper adiuuet . ut sciam  
quid acceptum sit coram te . omni tempore . et iudicare  
possim populum tuum . et discernere inter uerum et menda  
cium . inter bonum et malum . Placuit ergo domino quod rem  
huiuscemodi salomon postulasset . et dixit ei . Pro eo quod  
non longitudinem dierum . nec diuitias seculi . aut ani  
mas inimicorum tuorum tibi dare fecisti . sed postulasti  
tibi sapientiam ad discernendum uerum iudicium in po  
pulum meum . Ecce tibi dabo cor sapiens et intelligens .  
in tantum . ut nullus ante te similis tui fuerit . nec post  
te surrecturus sit . sed et haec quę non postulasti tibi  
diuitias scilicet et magnam gloriam . Et si custodieris  
precepta ac mandata mea sicut pater tuus . longa  
euum te faciam super terram . Euigilans igitur salomon  
et intelligens somnium . quod uidisset uenit in hierusalem  
et obtulit ibi holocausta . et grande fecit conuiuium  
uniuersis famulis suis . Tunc primum di iudicauit inter  
duas mulieres . contendentes coram sé de filiis suis . qua  
rum una ait . Ego domine et mulier hęc una habitantes  
in domo peperimus . Ego primum . et illa die tertia . nul  
lusque alius erat in domo nobiscum . exceptis nobis dua

bus . Oppressit autem haec filium suum et mortuus est .  
et nocte surgens cum silentio tulit cito filium meum de  
latere meo . et collocauit in sinu suo . Mortuum uero  
posuit in sinu meo . Ego autem cum surrexissem mane  
~~ma~~ dare lac filio meo . intuens eum cognoui non esse  
/113r/ meum quem genueram . Responditque altera dicens . Non est  
ita . sed filius tuus mortuus est . meus autem u`i`uit . Atque in  
hunc modum contendebant coram rege . Tunc rex ait . Hęc  
dicit . filius meus uiuit . et filius tuus mortuus est . Et ita respon  
dit non . sed filius tuus mortuus est . et filius meus uiuit .  
Dixit ergo rex . Afferte mihi gladium et diuidite in  
fantem uiuum in duas partes et date dimediam partem  
uni . et dimediam partem alteri . Tunc dixit mulier cuius  
filius erat uiuus ad regem . Obsecro mi domine . date illi infan  
tem uiuum . et nolite interficere eum . Illa autem dicebat . nec  
mihi nec tibi sit sed diuidatur . Tunc dixit rex et ait .  
Date huic infantem uiuum . et non occidatur . Hec est enim  
mater eius . Audiuit itaque omnis israel iudicium quod  
iudicasset rex . et post hęc timuerunt eum . quia ui  
debant sapientiam dei esse in eum ad faciendum iudicium .  
Quicumque ergo sapientem esse uoluerit . recte primum iu  
dicet . Sicut propheta ait . Recte iudicate filii hominum .  
Deinde requirat accidentia eius . TRia enim sunt gene  
ra sapientię . deuitare mala . facere bona . Sperare ęterna  
premia . Omnis autem sapientia `a` domino deo est . et cum illo  
fuit semper et est ante ęuum . sicut ipsa de se per salomo  
nem dicit . Dominus possedit me ab initio uiarum suarum .  
antequam quicquam faceret a principio . necdum erant  
abissi . et ego parturiebar . quando preparabat cęlos  
aderam . cum eo componens omnia . Et iterum dicit .  
Girum caeli circuiui sola . et in fluctibus maris ambulauit .

in omnem gentem et in omnem populum primatum  
tenui superborum et sublimium colla propria uirtute calcaui .  
/113v/ Ego enim in altissimis habito . et thronus meus supra nubes est .  
Diligite ergo ueram sapientiam quę fuit et est et semper erit  
cum domino . quia et ipsa diligenter requirit amantes se dicens .  
si quis diligit sapientiam ad me declinet . et eam inue  
niet . et eam cum inuenerit beatus est . si tenuerit<sup>1</sup> illam .  
Omnis ergo qui ueraciter secundum deum sapiens fuerit . feliciter  
cum omnibus sanctis in aeternum gaudebit . Vbi cum christo semper  
habitant sancti et iusti . immaculati et recti . boni et man  
sueti . Electi et perfecti . mites et misericordes . patientes et  
recte iudicantes . deum diligentes et caritate splenden  
tes . benigni et pacifici . et omnium sanctorum chori . cum domino semper  
in gaudentes in regnis caelestibus . per infinita secula seculorum . amen .

---

<sup>1</sup> two letters expunged between i and t